



h. 714.

3

A. D.

De

WITTEBERGA,

DISSERTATIONEM HISTORICAM,

In

Ipfa Wittebergenfium Academia

publica ventilationi

submittit

PRÆSES

M. JOHANNES *Bert*/

Wittebergenfis Sax.

&

RESPONDENS

BERTHOLDUS MAGNUS *Brüning*/

Hamburg.

In Auditorio Minori, ad diem 4. Nov.

Hor. matut.



WITTEBERGÆ,

Literis WENDIANIS excudebat DANIEL Schmaß/
Acad. Typogr. ANNO *cl* *Isc* LXXI.

3

WILHELMUS

DICHTATIONEM HISTORICAM

Johis Witebergensis Academiae

M. JOHANNES



ERTHOLDUS

In Anstano...

LITTEBERGA
Lictis W. Endia's excedat DANIEL SCHMAY





§. I.



Quatuor esse, quæ observari ab eò debeant, qui res gestas narratione quadam utiliter exponere suscipit, docet *M. Varro*: Locum ipsum, in quo quid agitur; Tempus, quò quid agitur; Personas, quæ res agitant; ac deniq; Actiones ipsas. Locus itaq; nobis memorandus, est *Witteberga*: ubi, ne in limine ipso hæreamus, præmonere volumus, non de quocunq; hujus nominis loco rem nobis esse futuram. Est enim oppidum *Ὠμώνυμον* in ditione Lauenburgicâ, infra ejusdem Ducatus Metropolis ad Albim, ob situm respectu nostri, magis occidentalem, vulgò dictum *Nieder-Wittenberg*. Est & aliud in Ducatu Meclenburgico, prope domicilium Principis Sverinum, quod dialectò ibidem usitatâ vocatur *Wittenborg*: uti nec minùs suam *Wittebergam* Marchia Prigenizensis agnoscit, ad Albis Stepenitiq; amnium confluentes positam. Verùm ex his nullum; sicuti nec ullum aliud, cujuscunq; fuerit diæceseos, commune nomen usurpans: sed unicè primariam urbem atq; Metropoliâ Electoratus Saxonici, in Saxonia superiori, ad dextrum sive orientale Albis fluvii littus conspicuam, contemplationi nostræ subjiciemus.

§. II. Nomen, ejusq; derivationem, quod concernit, in eò assignando magnoperè inter se dissident Auctores. *Germanicum* esse nomen, à monte candido, idiomate Saxonico, Auctor est *Matth. Dresserus*. (α) *Æn.* quoq; *Sylvius*, (β) qui post adeptum Pontificatum, *Pius II.* appellatus fuit, eandem tenet sententiam. *Jus*, inquit, eligendi Romanorum Imperatorem, Saxonia Ducibus ex parvo quodam Principatu asserunt competere cujus

caput oppidum est *Wittenberg*, *Mons Albus*. Ex quâ ratione Scriptoribus nunc dicitur *Witteberga*, *Wittenberga*, *Witteberga*, *Leucoréa*, *Albioreum*, *Albimontium*: ut vernaculo nostro sermone hoc modo *Wittenberg* idem sit, quod *Weissenberg*. Et hæc ipsa quidem hodiè cõmuniter recepta est opinio; quæ tamen improbat ab aliis. *Petrus Bertius*, (γ) nomen ipsi non esse ab albis montibus, ait, cum sita sit in planitie. Eandem habet *Albinus*, (δ) inqviens: *Se simpliciter intelligere & exponere nomen &c. cum locus à castro, non à monte, cujus neq; vestigia ibi videantur, denominatus sit.* Cui adstipulatur & *Balthas. Menzius*, (ϵ) qui etymologiam hanc multò certè probabiliorem esse, dicit, quàm illorum, qui fingunt oppidum ab albo colore montis nomen invenisse, cum huic montes nulli, sed collicidi potius à parte arctoâ vicini sint. Illis tamen respondet citatus *Dresserus*: *Etsi in monte collocata non est: usitatum tamen est in Germanicâ lingvâ etiam planis locis ejusmodi nomina indere, ut vineis, sive in monte, sive in plano sitis.* Hic tamen à potiori appellationem fieri, non obscure patet. (*a part. 5. Isag. Hist. de præcip. Urbb. Germ. p. 602. § c. 32. de Europâ p 425. γ 13. Comment. Rer. Germ. p. 717. δ Chron. Misn. Tit. 8. p. 89. e Syntagm. Epitaph. l. 1. c. 5.*)

§. III. Hinc alii denominationem ejus derivant à *Castro* sive *burgo*: non tamen in totum conveniunt. *Petrus Ravennas* (ζ) eam vocat *Albiburgum* sive *Weissenburg*: indè aliàs pronunciat *Wittenburg* &c. Scriptoribus antiquis *Wittinburg* dicitur communiter, quasi castrum *Witti*, vel *Wittichindesburg* / castrum *Wittikindi*, sumptâ nominis ratione ab ipso *Conditore Wittikindo*: quæ sententia etiam communissima est & eruditis maximè familiaris, adeoq; priori derogare non immeritò videtur. *Bertius* l. c. nomen ipsi *Urbi datum* scribit à *Wittikindo*, *Domus Saxonie capite*. Idem sentit *Menzius*: *Witteberga*, quasi *Witkind wôgy* \odot , seu *Witkindburg* / hoc est *Wittikindi castrum*. Conferri etiam meretur *Laurent. Peccenstein*, (η) cujus hæc sunt Verba: *Plurimi Autorum, qui de origine Urbium horum Locorum scripserunt, unanimi tradunt consensu, Urbem hanc à Conditore Wittikindo, Saxonum ultimo Rege & Magno Duce*

Duce primo, nomen sortitam, genuinâ & verâ appellatione Wit-
tichindsburg esse pronuntiandam. Albinus utriq; opinioni ad-
dictus quidem, hanc tamen censet probabiliorem, quando ad-
dit, Sicut & alia Castra, simili ratione, à nominibus propriis Con-
ditorum suorum habentur denominata. (§ Additionibus ad Com-
pend. Juris, in Parte 3. Theatri Saxon. p. 105.)

§. IV. Antequàm verò hæc dimittamus, Peccensciniæ
augurium, de Nomine hujus Urbis, Slavico adducere non
pigebit. Cùm enim certum sit, Slavos, ad certum tempus, an-
tiquitus hæc loca tenuisse ipse partim ex adjacentibus oppidis
atq; pagis: Prettin/ Domnisch/ Preßsch/ Roswigk/ Belzig/ Jüter-
bock/ Jessen/ Trebitz/ Rokit/ Eusßsch/ Klitschen / &c. quæ nomina
Slavica omnia esse, dicit, indita locis à Conditores Slavinis;
quâ in parte cum eo sentiunt & Dresserus & Albinus: partim
ex qualicunq; hujus nominis convenientia cum vocabulo Slavico
Belbrod / sive Belbrad / illorum lingvâ Album notans trajectum,
Eine weisse Uberfurth / à colore albo vel aqua fluvialis, vel terræ
arenosæ, ad discrimen pagi è regione oppositi, qui simpliciter
Brada / sive transitus vocatur, Urbem hanc Wittebrodam olim
fuisse dictam, conjicit. Sed verò, quantum conjectura huic
sit tribuendum, ipsa Nominis ex diversissimis lingvis com-
positio, abundè testatur. Quod si tamen Slavis aliquid dan-
dum esset hoc in negotio, priori istâ probabiliorem dicere-
mus opinionem illam, quam paulò post, p. 152. subjungit,
Witbrodam dictam fuisse, tanquàm Wittikindi passagium. : ita
namq; Urbs nostra Germanis Wittichindsburg / Slavis Wittich-
inds Uberfurth foret nominata, servatis utrinq; Idiotismis
in corruptis: quæ opinio à nostrâ sententiâ postremùm posita
neqve multùm abluat.

§. V. Tandem nec ea, quæ sensu allegorico ab aliis hanc
in rem sunt notata, præteribimus. Sunt enim quidam, qui
pio studio atq; animo Christiano agri hujus locorum nomina
Hebraica esse opinati sunt, ita ut Witteberga Montem Sio-
nis, Senda Sidon / Dabrun Hebron / Domnisch Damascum /
Prata Ephrata / &c. Jessen dicunt esse à Jesse / Bana / significare

Ein Gasthaus, & quæ sunt alia. Cæterum, ea non asseverationis causa, sed κατὰ συγκρίσεως λόγον, collationis gratia facta esse, ut lumen Evangelii ex Wittebergensi Ecclesia prolatum conferatur cum luce cælestis doctrinæ, quæ ab Hierosolymis in universum terrarum orbem diffusa est, inquit Dresserus l. c. Vid. etiam Meisnerus *Jubel. Witteb.* p. 133. 134. *Albinus* p. 90. *Peccenst.* p. 150. &c. Sententia enim eorum, qui à Judæis ea extructa & denominata esse, censent, sua spontè corrui.

§. VI. Expositio Nominis, Originem inquisituri nunc procedimus; quæ licet & ipsa controversa sit, tantis tamen difficultatibus involuta esse non videtur, quia ex diligenti scriptorum collatione (si quæ fides habenda est illis, quæ purâ Historiæ luce destituta ex incertis antiquorum monumentis conjecturâ quædam eruuntur) Veritas quodammodo investigari possit. Superius constitit, primariam sententiam, quo ad Nominis Etymologiam, tributam esse illis, qui denominationis rationem ab ipso Conditor, Wittekindo, deducunt. Verum cum duo ejus Nominis præcipue celebrentur Heroës, Wittikindus Magnus sive I. & II., Pater & Filius, cui ex illis Natales sint adscribendi Urbis nostræ, maximè inter se certant Autores. Wittikindo Magno incunabula tribuunt plurimi Autores. *Menzius* l. c. inquit: *Conditorum (Urbis) certum est fuisse Wittikindum, qui fortissimus & potentissimus Princeps in gente Saxonum, diutissime vim atq; arma Francorum, oppugnante Saxonibus Carolo Magno, sustinuit.* Is enim in bello illo diuturno, quod contra Carolum M. magno animo, ultra annos XXX. pro libertate Patriæ & tuendâ superstitione gentis suæ, gessit, variâ, & sæpius quidem adversâ usus fortunâ, tandem non tam coactus, quàm delinitus jugum Christi & Francorum leges suscepit, sacroq; initiatus lavacro à Carolo Saxonum Dux primus & adversus Sorabos, gentem Slavicam, (qui subactis Myfis, pulsus & ejectus Hermunduribus & Senonibus Germanis, ea loca incolebant) Præfectus constitutus, contra eorundem incursiones duo illa castella, Witebergam ad Albim & Wettynum ad Salam fluvios condidisse fertur. Vid.

Vid. *Peccenst.* l. c. part. 3. p. 150. 152. it. *Comp. Histor. Sax.* p. 2. 3.
Bertius l. 2. p. 30. *Münsterus Cosmograph.* *Sennertus*, *Qvenstad.*
ll. cc. Baptismum verò Wittikindus M. cum Saxonibus suis,
ut & dignitatem Ducalem suscepisse scribitur A. C. 15 CC-
LXXXV. *Bertius* l. c. p. 303. *Bucholzerus Indice Chronol.* p. 320.
&c.

§. VII. Ab hac opinione non procul *Albinus* abest, qui
Wittekindum illum I. Carolo Juniori, constituto à Patre
Germaniæ Præfecto, in expeditione Sorabica, adfuisse, req;
benè gestâ coesis multis hostium, unâ cum Duce Miloducho,
millibus, Carolum inter alia propugnacula, prædicta duo
quoq; castra extruxisse, & in honorem Wittikindi, ob strenuè
navatam operam, ex ejus nomine *Witrynburg* & *Wetryn* ap-
pellâsse, ad quorundam opinionem scribit. Refertur autem
ab ipso hæc Victoria ad A. C. 15 CCCVI. Consentire videtur
Peccenstein l. c. p. 150.

§. IIX. Sed enim verò non minoris fidei & Autoritatis
Scriptores rem ad Wittikindum II., Magni illius Filium, de-
volvunt, qui superstitionis suæ maximè tenax, etiam Patre
jam Christiano, Evangelii lucem totus tamen abhorrens,
demùm, divinâ gratiâ ductus cum fratre Wigberto sacro flu-
mine lotus Patriq; ob id reconciliatus, atq; ab eo Præfectu-
ram, quam ipse à Carolo obtinuerat, adeptus, post mortem
Patris, coesô illo in acie contra Svevos, à Duce eorum Geroldo,
A. C. 15 CCCVII. (*Bert.* p. 303. *Peccenst.* part. 1. p. 10.) Arcem
atq; Urbem hanc extruxisse dicitur. Vid. *Fabricius* l. 5. *Illustr.*
Saxonia, p. 511. *Elias Reusnerus*, *Geneal. Reg. & Elect.* p. 25. *Pec-*
censt. Compend. Histor. Widek. p. 3., ubi Initia Urbis refert ad
A. C. 15 CCCVIII., parte 3. verò *Theatr. Histor.* p. 34. ad A. C.
15 CCCXII. Vid. & part. 3. p. 150. Consentit *Lazius Saxon.*
p. 660. Et hæc primariæ sunt sententiæ, quarum alterutram
Scriptorum præstantissimi, qui de Origine ejus quicquam
tradiderunt, arripiunt: ut ita juxta easdem, Natales Wite-
bergæ incidant in finem Seculi VIII., vel Initium IX. Quod
temporis discrimen, in eâ sanè rerum obscuritate valdè exi-
guum,

guum, quidam omninò tollere conantur, dùm opus illud à Patre inchoatum Filium perfecisse, autumant. Quæ tamen in medium relinquimus.

§. IX. Sunt verò & præter allatas aliæ opiniones à *Peccenst.* collectæ, quas breviter commemoraturi sumus. Ille ex fide dignis Historicis notum esse scribit, ambo illa Castella sive propugnacula, jam *Senonum* tempore extructa fuisse, l. c. *Part. 2. p. 150.*; cum verò ex Autoribus illis neminem adducat, & ipse non solum *pag. proximè præc.*, statuatur, *Cimmerios, Suevosq; Senones paucas, vel etiam nullas Urbes coluisse, pagis & vicis contentos;* (vid. & *Bertius* l. c. p. 83.) led insuper etiam consentientem introducat Autorem vetustum, *Emsemum Stelam*, qui inter centum illos, quos ad *Albim* habitaverunt *Senones*, pagos, unicam saltem Urbem *Wen* eò tempore solo valde circumseptam, tradit existisse; parum certitudinis de hoc asserto haberi posse censemus. Quin & ipse sæpius laudatus Autor muniendarum Urbium modum atq; rationem cum *Slavis* demùm oris hinc innotuisse, asserit; undè & multa de *Slavica* Origine & denominatione hujus loci in medium producit, (quæ §. IV. sunt exposita) semper tamen hærens incertus, sintnè primordia ejus ad *Incolas* novos, *Saxones* puta, aliosque *Germanos*, qui excisis *Slavis* eorum sedes sibi acquisiverunt, potiùs protrahenda? Nos interim, licet non absque causâ, in eò rerum statu, dubii feramur, cui potissimùm sententiæ subscribamus: à verò tamen adeò distare multum non videbimur, si *Scriptorum* optimorum *Autoritate*, rationumq; probabilitate nixi superius allatam de *Conditorum Wiktindo*, sententiam præpollere, atq; ex eò tempore unâ cum *Castro & Urbem* initia invenisse, conjecerimus, cum ipso *Aut. l. c.* Opinio enim adversa, quam ex eo de *Slavis* modò recensuimus, tanta non esse videtur, quæ adversus nostram quicquam ponderis subministrare valeat. Absit tamen, ut ea, quæ meris conjecturis nutriuntur, pro solidâ *Veritate* venditare suscipiamus: neq; enim pro certissimis, neq; tamen exindè pro falsis reputari illa volumus, quæ ex incertis *Antiquorum*

quorum monumentis colliguntur. *In antiquis enim & sermulo-
sis, quae similia veri sunt, pro veris sunt accipienda, secundum ef-
fatum Plinii.*

§. X. Cum verò haecenus quorundam populorum,
qui hanc & vicinam terram successivè habitârunt, men-
tio facta fuerit, quorum notitia non parùm ad faciliorem ca-
ptum eorum, quæ modò tradidimus, confert; frustraneos
nos minimè fore, existimamus, si quædam huc facientia, pau-
ca licet, interseramus. Et Germanos quidem ab antiquis-
simis temporibus primùm in Germaniâ consedisse, tam cer-
tum est, ut & exteri Scriptores pro indigenis, minimè verò ho-
spitibus terræ suæ eos habuerint; immò, quasi illos ap. Naso-
nem ex lapidibus; ita tuberum instar hosce è tellure enatos
crediderint. Dico Germanos; sanguine nim. sive origine: non
nomine. Nomen enim non admodùm antiquum suo seculo
fuisse, testatur *Tacitus* (ipsi tamen *Cæsari* jam antea cognitum
fuisse legimus) *de moribus Germanorum*: videturque nobis ea
appellationis ratio præ reliquis maximè probabilis, si non
omniò certa, quam proponit suoque calculo approbat *Bertius*
l.c. p.2. seqq. quando ita dictos eos esse statuit ab intimâ fra-
ternitate arctissimoque societatis vinculo, quo inter se ne-
xi semetipsos ipsi *Brutteros Brüder* s. fratres (quæ consuetudo
hodiernum durat) salutarunt, atque indè à Romanis Germa-
nos esse denominatos censet. Non igitur hoc loco facimus cum
Strabone, qui illos ita nominatos fuisse, putat (sunt verba *Bertii*)
*quòd Gallorum essent persimiles: nihil enim vel hodiè, vel olim ma-
gis dissimile, quàm Germanus & Gallus, ipso etiam teste Cæsare, què
scribit, Germanos multùm à Gallorum consuetudine differre, resque
ipsa indicat &c.* Cæterùm *Albinus, l. c. Tit. 2. p. 17. communissimum
Germanorum nomen antiquitus Cimmericorum fuisse, autumat, cum
illi omnium primi ex Asia in Europam migraverint.* Sed non mi-
nùs *Teuthones* dictos fuisse, cum multæ aliæ rationes, tum ve-
rò ipsa usitatissima denominatio haud obscure innuere vide-
tur. *Cæsaris, Plinii, Taciti* atque *Prolemai* *Seculis* Regionis no-
stræ *Incolæ* fuerunt ex gente *Svevicâ Semnones* in centum di-
stincti pagos, uti testantur *Tabule Geographica Bertii, p. 88. 92. 102.*

B

earumque

earumq; elucidationes p. 84. 94. 104. 173. *Albinus Tit. 4. p. 58. seqq. Menzius l. c. p. 2. &c.* Cum vetò Sec. VII. (uti plurimi sentiunt Autores) sub Imperio Mauritiæ præcipuè atq; Heraclii, *Slavi* (quos perperam alii, secuti *Helmoldum* cum primis & *Alb. Cranzius*, *Vandalorum* nomine honestant, cum toto orbe *Vandali*, die *Wandalier* / gens Germanica, & *Slavi* s. *Venedi*, die *Wenden* / natio Sarmatica, distent, Vid. *Bertius p. 143. Albinus p. 54.* alii.) in Germaniam ex Sarmatia irrumperent, ex illis *Sorabi*, ejectis partim, partim subactis *Myfis*, pulsisque *Senonibus*, habitatoribus terræ nostræ vetustis, cum *Misniâ* & *Ostlandia*, hæc quoque & vicina loca occuparunt, tenueruntque usque ad tempora, quibus Germani rerum potiti sunt, *Carolo M. Francorum Rege* renunciato *Romæ Imperatore*. Hic enim post confectum feliciter bellum Saxonicum, de quo conf. *Kranzius*, arma victorica in *Sorabos* illos *Slavos* promovit, conferatque aliquoties manu, Victor novos colonos ex *Saxonibus* aliisque Germanici nominis populis, in has oras juxta eosdem posuit, ipsamque Regionem *Witikindo*, constituto *Soraborum* præfecto donavit; qui eâ occasione usus, auspicio felicissimo plures ex gente sua suam in ditionem traduxit *Albinus l. c. p. 89. 90. &c.* atq; sic pressis subindè magis magisque *Slavis Saxonum* nomen in his locis invalescere cœpit. Postea quoque *Henricus Auceps*, ex *Saxonum* familia primas Imperator, domitis illis, qui *Misniam* incolebant, justisque exulatum renuentes doctrinam Christi, novos insuper ex popularibus suis incolas; & post eum *Albertus Ursus* ex Principibus *Anhaltinis*, imperante *Cunrado III.* ejus nominis, primus *Electo Brandenburgicus*, victis & ejectis istis cis *Albim*, ex *Hollandis Flandros* sive *Flemmingios* (à quibus tractus ditionis hujus nomen sortitus huc usque *der Flemming* dictus) à *Carolo M.* ob sæpius iteratam rebellionem, ex *Saxoniâ* & avitâ suâ Patriâ ea in loca transportatos, *V. Cranz. Sax. cap. 19. p. 41. 42. c. 22. p. 46. Abr. Bucholz. Indice Chronol. p. 320.* in regionem desertam, bellisque diuturnis ad solitudinem penè redactam adduxit: Estque hæc causa, cur circa *Wittebergam* nomina sint *Cameracum* (*Remerich*)

Merich / nunc vulgò Remberg) Neomagi (Nlemed) Bruga (Brug)
alibi verò aliarum urbium originem suam testantium, inquit Ber-
tius l. c. p. 321. Vid. etiam Albinus, Tit. 8. p. 90. Menzius 3. 4. Cranzius
l. c. lib. 6. c. 19. p. 150. Ex quibus constat, primos hujus terræ cul-
tores non fuisse Saxones; cum ante eorum adventum eam non
alii modò Germanorum populi, sed & ipsi Slavi ad tempus
olim tenuerint. Ptolemaeus Saxones locat ad collum Cimmericæ
Chersonesi, ubi nunc Holsatia est, vid. Bertius 102. 104. 120. 172. ex
eo verò tantùm excrevit gens validissima, ut jam tum Caro-
li M. aro ingentem tractum ad Visurgim, Albim jugaqve Her-
cynia habitaret. Succedente demùm tempore, missis in ex-
haustas bello Slavico Regiones, undiqve novis Colonis, omnem
Germaniam Borealem occuparunt; quæ postmodum, inven-
to ex novis Incolis nomine, hodiennum Saxoniam (non obstante
cujuscunqve Provinciæ speciali denominatione) dicitur, in Su-
periolem & Inferiolem divisa. De origine Saxonum, Sedibus &
nominibus antiquis, conscribi possunt Lazius & Cranzius, it. Philippus
Cluverius, quibus sub competenti Titulo. De dignitate Regia & po-
testate Magistratus apud eosdem vid. iidem. De Genealogiis Regum
& Principum &c. Bertius, Reusnerus, Albinus, Peccensteinus &c.
de Provinciis ad utramq; Saxoniam pertinentibus, vid. inter alios &
Bertius, p. 236. &c. In his enim ut prolixi sumus, instituti ratio
prohibet.

§. XI. In superiori igitur Saxoniam, primariaqve ejus Pro-
vincia Ducatu Electorali decorata sita est Urbs nostra, Caput
ejus atqve Metropolis, Witteberga. Hujus longitudinem si-
ve distantiam à primo Meridiano vel puncto putativo occi-
dentalissimo, Tabulæ (juxta Reinholdum correctiores) faciunt
37°. 15'. latitudinem verò sive altitudinem Poli 51°. 52'. atq; exin-
de quidam hoc in loco ferè sitam fuisse, autumant Ptolemæi
καλαγία s. Calegiã, cujus Long. ille facit 37°. 30'. Lat. 52°. 20'. Vid.
Sennertus l. c. p. 5. Albinus ex mente Pirckheimeri, Tit. 4. p. 48. Bertius
l. c. p. 107. (Alii tamē Calegiam dicere & ius Calebiam, notariq; Cal-
bam existimant.) Cumqve longissima solstitialis dies hoc
in loco sit 16. H. 35'.; sub parallelo XVIII. Climate verò VIII.

fram esse Urbem nostram ultrò consequitur: addunt Astrologi sub ☽ Signo Zodiaci quarto.

§ XII. Cæterum figura Urbis, quæ in plano tota jacet, Triangulo Scaleno non abfimilis videtur. Basim enim sistit ejus longitudo, quæ Austrum & Albim spectat, ab Occidente in Orientem subtensa: latus minus linea à porta, quam vocant Arcis, termino Urbis occidentali, ad ipsum gibbum oppidi s. propugnaculum septentrionale protracta: majus verò latus linea prædictum munimentum cum termino orientali sive portâ Elystri connectens: quorum illud occasum; hoc verò ortum æstivum & Septentrionem prospicit. Alii tamen segmentum circuli minoris; formam alii navis eam exhibere, statunt. Vid. *Senn. l. 6.* Eam verò faciem, quam nunc ostendit, olim non obtinuisse, tum ipsa à Johanne Friderico facta mutatio; tum Icone ejus apud *Bertium, p. 716.* satis innuunt. Hodie duo rivuli perlabentes ab ortu versus occasum, juxta longitudinem tres in partes quasi eam dirimunt; Australem, Septentrionalem & Intermediam. — *Australis* unicâ plateâ integram sistit Urbis longitudinem ab occasu, ubi terminatur *Arce Electorali* & adjunctâ porta, quæ ab arce denominata das Schloßthor dicitur, in ortum excurrentes, ubi eam claudit *cænobium fratrum S. Augustini* & contigua ipsi porta Elystri, das Elsterthor / à fluvio Elystro, der schwarzen Elster / uno supra Urbem milliari, ad vicum ejusdem nominis, Elster / in Albim se exonerante. Ab hac portâ in eâdem plateâ iter jectis quibusdam ædibus, visitat etiam *Collegium Academicum*: atque ad forum porrò tertia Urbis porta, quæ Meridiem versus atque Albim ducit, unde & dicta das Elbthor / mediam ferè plateam secat; hinc & diverso nomine diversæ partes die Schloß- und Collegien-Gasse dicuntur. *Pars Septentrionalis* longitudini Urbis latitudinem quandam addit, dorsum vel gibbum representans. Hujus viæ in longum protractæ sunt die Coswiger- und Jüden-Gasse: reliquæ transversales Töpffer-Gasse / Bürgermeister-Gasse / inter quam & sequentem *Cænobium Franciscanorum* situm est; die Juristen-Gasse à *Collegio Jurorum* denominata; die Marstall-Gasse & c. *Intermediam* duo illi rivuli, à Meridie die faule Bach / à cursu leniori, à Boreâ verò die

die rifehe Bach / à concitatiōi magis fluxu ita dicti, claudunt.
Plateæ ibi reperiuntur das Elster-Ende / die Mittelgasse / die Neu-
Gasse und Kupffer-Gasse. In medio ejus conspicitur *Forum* cum
Curiâ elegantis: cui ad ortum imminet *Templum Parochiale* si-
ve *Oppidanum* & ipsi proxima *Schola* oppidi, cujus structura
hodiè sat pulera ad A. C. M. D. LXIV. refertur: antea enim
ibi, ubi nunc publica puellarum schola est, extitit. *Portas*
Urbs continet tres modò enumeratas.

§. XIII. *Arx* à Witekindo condita (uti supra constitit) à
Bernhardo H. Alberti Urstf., primo ex Familia Principum An-
haltinorum, in locum exauctorati Henrici Leonis, Saxonie
& Bavarie Ducis, Electore atque Duce Saxonie substituto à
Friderico I. Imperatore (à quo & primus Insignia scuti rutacei
& transversarum auratarum nigrarumque trabium obtinuit)
ampliata, ipsaque Urbs manibus, vallo atque fossâ cincta tra-
ditur, fixâ hinc sede Electorali, consentiente Casare, & con-
firmante postea ditionem hanc Electori Saxonie. Atque ex
eo tempore (ab A. C. nim. M. C. LXXX.) diu admodum Electro-
rum domicilium fuit. Tandem verò Fridericus III. dictus Sa-
piens (cum quo ipsa Urbs vivere quasi atque florere cœpit) arcem
de integro exedificasse scribitur, in eumque splendorem eve-
xisse, quo hodiè spectatur, duobus validissimis turribus rotun-
dis decorata atque corroborata. Et hæc quidem referuntur
ad A. C. M. CCCCXC. Cæterum, *Arx* ipsa sive Castellum Au-
strum Zephyrumque prospiciens, eâ Urbis parte, quæ fluvio
proxima est, versus Boream contiguum habet *Templum Ca-
thedrale* (alias etiam *Ursulae* & 11000. Virginum, it. omnium San-
ctorum &c.) Academicum s. *Arcisdie Schloß-Kirche* quod ab
eodem Electore Friderico à fundamento novum extructum es-
se dicunt, destructo facello, quod eo in loco à Rudolpho I. Ele-
ctore institutum, Rudolphus II. primi filius ad finem per-
duxerat, circa A. C. M. CCC. LX. In hoc Templo amplo, spa-
cioso, præalto atque magnifico nullisque pilis superstructo
præter Principes atque Electores, quorum ossa ex Monasterii Fran-
ciscanorum æde transtulit laudatissimus Elector, ipse quoque cum
Fratre Electore Johanne, B. Luthero Theandro, & Præceptore
totius Germanie Phil. Melanchthone &c. tumulati quiescunt.

Tempus verò conditi hujus Templi ex Inscriptione, quæ supra portam majorem legitur, ediscitur; Annus nimirum M. D. XVIII.

§. XIV. Idem ipse & Collegium Academicum, à fundatore etiam *Friderici* dictum, condidit. In cujus parte postica Auditorium minus sive vetus, Audit. Medicorum, Domus Anatomica & Carcer: in anticâ verò Auditorium novum sive majus & Cella Academiæ propria habentur. Sed & originem suam ipsi debet *Monasterium Ordinis D. Augustini*, nunc simpliciter das Kloster (in quo B. Lutheri Musæum hodiernum ostenditur) concessum postea totum ab augustissimo Augusto Electore in usum Academiæ, qui & novum ædificium, ejus gratiâ splendidè extruxit, quod ipsa Inscriptio portæ superimposita testatur. Hoc Auditorium Alumnorum Electoralium, Mensam communem, Hortum Medicorum, Bibliothecam & triclinium publicis Conviviis Academicis datum, in quo & Imagines Electorum inde à primo Academiæ fundatore justâ staturâ habitæ trabeato, Lutheri it. atque Melanchthonis visuntur, complectitur. Dicitur & hodiè *Collegium Augusti. Franciscanorum Cænobium atq; Templum*, das graue Kloster und die Kloster-Kirche / vetustum est, conditum à Coniuge Alberti I. Electoris Saxonix, Helenâ, quæ A. C. 1273. obiit, & in eo cum multis aliis Principibus, humata est; quorum tamen reliquias *Fridericus III.* in Templum summum sive Arcis postmodum transtulit. Sed verò alii usui destinatum Prochotrophium & Granarium hodiè continet. Quando *Templum Parochiale sive oppidanum, B. Mariæ à Conditore* sacratum, die Stadt- oder Pfarrkirch / fundatum sit, certò non constat. Huic ad occasum adjunctæ turres duæ grandes atque quadratæ, quarum fastigia pyramidalia olim, metu obsidionis à Joh. Fr. dejecta, nunc octogona inque globos octogonos exauntia, laminis testæ cupreis, conspiciuntur. *Curia* splendorem suum potissimum tribuere debet magnificentiæ Electoris Augusti &c. De Epitaphiis & monumentis &c. in templis atq; Cæmeteriis conspicuis, conf. *Magnif. D. Meisnerus descr. Eccl. Colleg. Excell. Sennertus Athen. & Inscr. Witteb. it. Sæv. Acad. Witteb. Menzius Syntagm. Epilass.* Præter hos, quoad cætera, vid. & suprâ cit. *Berrius, Peccenst. Dresserius &c. ll. cc. &c.*

§. XV.

§. XV. Cæterum A.C. M. DXL. Johannes Fridericus Elector, ob bellum cum Carolo V. Cæsare, pro Religione Evangelica pio zelo susceptum ipsam Urbem nonnihil mutare cæpit, contractâ illâ paulo ab eâ parte, quæ orientem spectat, destructisq; ædificiis aliquot publicis & privatis; novis muris, fossa item ac vallo eam circumdedit. Cum verò à Cæsare ad Mülbergam captus esset, oppidum à milite hoste obsessum, circum quaque ferro & igne omnibus vastatis, & tandem ipse captus damnatus, pro redimendâ vitâ, acceptis certis conditionibus Urbem per deditonem Cæsari tradi iussit D. XXIII. Maji A.S.M.D. XLVII. Et licet oppidani iram Victoris & militarem licentiam non parùm metuerent, ipse tamen Carolus, abominatus Albani aliorumq; truculenta de excisione ejus consilia, salvo exercitio Religionis, salvisq; legibus atq; privilegiis Urbem ipsam cum ditione Electorali Mauritio, in locum Johannis Friderici, Electori substituto concessit: à quo & successoribus non exiguis ornamentis & ipsa, & Academia præcipuè est condecorata.

§. XVI. Sed verò quamvis non exiguis dignitatibus atq; prærogativis gaudeat Urbs nostra, cum ea non solum huc usq; Metropolis Electoratus Saxonici, die *Chur-Stadt* munimenq; Electorale existat; sed & multorum Principum atq; Electorum sedes antiqva fuerit: omnium tamen maximum splendorem ex toto orbe celebratissimâ Academiâ est consecuta. Initium huic dedit, si deliberationem spectes, Annus M. CCCC. XCIX. sin consecrationem & introductionem A. C. M. D. II. D. XVIII. Octobr. Luca sacer: constituto primo Rectore omnium suffragio Martino Polichio, Mellerstadio, Franco, Medicinæ Doctore, qui non vanè auguratus est: conditam in exiguo hoc oppido Academiam omnes alios in universa Germania luce suâ fore obscuraturam. Non enim ea sedes saltem Musarum regia, saniorisq; Philosophiæ municipium; sed & quod summum Dei beneficium est, Parens omnium religionis orthodoxæ Ecclesiarum, atq; ipsius purioris doctrinæ Patria existit; cum hîc, per Dei gratiam, Martinus Lutherus primus Ecclesiæ repurgationem à Papisticis sordibus felicissimè auspiciatus sit, fixis ad valvas Templi cathedralis, contra mercaturam Indulgentiarum, quas venales Orbi Tezelius impudentissimè exponebat, thesibus XCV. A.S.M.D. XVII. Hinc non absq; re Hugo Favolius *Theatri Orb. Ter. Enchirid. p. 90.* canit:

Wittenberga bonis studiis atq; artibus apta,
Et rebus semper pulcris Urbs dedita, sacris

Tum

Tum pariter Musis, pariter Virtute decora,

Extollit celsos iuga per sublimia muros.

§. XVII. Formam Reipublicæ, quod concernit, primas in Urbe tenet Academia, cuius Caput ipse Rector, ex XXII. Professoribus ordinariis, secundum ordinem bis in Anno creatus. Hinc sequitur Quæstura, das Churs. Ampt. in quâ summum Magistratum gerit Præses atque Director Curie Electoralis, der Hoff. Richter; inde Quæstor &c. Tandem Senatus Oppidanus constans præter Coss. III. Syndicū & III. Prætores, Senatoribus XVIII. ad numerum Coss. in tres ordines distinctis &c. His accedit miles præfidiarius sub Præfecto. Sed verò hæc omnia prolixius exponere, nunc non vacat.

§. XVIII. Antequam tamen Colophonem addamus, quædam de ipso quoque flumine, ponte quondam strato Urbemque alluente, dicenda esse videntur. Albis, inquit *Sylvius Hist. Bob. c. 1. p. 82.* in montibus exoriens, qui Bohemiam Moraviamque determinant, mediam ferè Provinciam perlabitur, primò in occidentem, deinde in Septentrionem versus, ubi Provinciam relinquit per angustias montium & abrupta convallium præceps Saxoniam perit, quam duas in partes dirimens in Oceanum fertur. Quæ ipsa verba ex eo etiam repetit *Cranzius. Albinus l. c. Tit. 23. p. 325.* Albinus, dicit nasci in montibus Silesiam à Bohemia separantibus, in Riesens Gebürge inde primò in Meridiem delabi, postea versus Occasum, ac tandem ad septentrionem delatum in Oceanum Germanicum præcipitari. Loca, quæ alluit, fluviosque ipsi se miscentes vide apud Aut. l. c. Nominis rationem, quod attinet, triplicem affert *Albinus* ex diversis Autoribus. Quidam nomen Albis origine Latinum esse volunt, deductum à candido aquæ colore, ibi præsertim, ubi oritur; unde & in antiquis Pontificum Decretalibus atque Bullis eum Albeam, non verò Albinum vocari æstimant. Sed verò cum plurimis incongruum non immeritò putamus, nomina fluviorum, quorum antiquissimi incolæ Germani fuerunt, & à quibus ipsi Romani eorum notitiam qualemcunque hauserunt, ex Romanis ipsis indita & ab incolis recepta fuisse, credere vellet. Alii opinantur, vetustissimos quosdam Germaniæ Incolas Alybas vel Chalybes ex Asia huc progressos fluvium ex nomine suo appellasse. Quæ tamen cum æquè incerta sint atque prima; ultimæ opinioni facilius assentimur, quæ denominationem à numero, ut Bohemi volunt, fontium undecim, ut Saxones, tot annuum influentium, sumptam esse putat. Uade & *Osius*: Nomen ab undenis fontibus Albis habet. Fontium prætereà nomina nosse qui desiderat; itemque pisces & aves in eo & circa eundem vivere amantes, adeat *Fabricium*, quem citat *Albinus p. 312. 324. &c.* Ultra non licet!

S. D. G.



h. 7114.

WI
DIS

Ipfa V

M. J

BERT

Literi



252
3
RGA,
ORICAM,

Academiã

S Kern/

IS Brüning/

4. Nov.

IEL Schmaß/
XXI.

3

